



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiariam reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Principium 5. Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

PRINCIPIUM V.

Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri.

Sensus.

Hoc est, qui potest justam causam allegare, ob quam non tulerit solutionem debiti sui, non est censendus culpabiliter moram admisisse, atque adeo nec ad damnum ex ea factum obligatus.

Autoritas.

Desumptum est ex l. 6. decret. c. ult. reg. 60. illudque confirmant & approbant Dynus & Canis. in tr. de reg. Juris.

Ratio.

Quia cum lex solutionem aut restitutionem imperat, si firmativa sit, hoc ipso non obligabit, si justa causa adhibeatur excusans à restitutione vel solutione, atque adeo nec culpabiliter moram admisisse dicendus est, qui ex tali causa solutionem vel restitutionem aliquanto tempore differt.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui cum Creditore suo pactus est, ne à se pecunia peteretur, non esse in mora, sed per exceptionem pacti defendi, uti ex §. Præterea. Inst. de excep. cogitur.

Deducitur 2. Eum, qui sub pacto Legis Commissæ rem aliquam oppignoravit, & juravit non contravenire, si contra facta verò injustè impeditus infra diem statutam non reddere, posse eam redimere post eam diem, uti in cap. Significatio de pignori bus definitur.

Deducitur 3. Eum, qui aliquid metu coactus, aut dolus ductus promisit, aut errore quoad substantiam lapsus, non censeri in culpabili mora esse, si non restituat, quando compellatur à Creditore, uti in §. verbi gratià Instit. de excep. deciditur.

PRINCIPIUM VI.

Paria delicta mutua compensatione tolluntur.